



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvit̃s, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

267. Feria 2. de commiseratione, & operibus misericordiæ corporalibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

476 FERIA 2. DOMIN. 14. POST PENTECOST.
sapit, deponere. 7. Cuncta visibilia despiciere,
& nec minis, nec suasionibus ad minimum
eorum amorem inclinari. Qui ejusmodi
est, audiet in accessu ad sacratissimum Sa-
mentum ab Angelis sibi applaudi: *Parasti
in dulcedine tua pauperi DEVS.*

MEDITATIO CCLXVII.

FERIA 2. DOMIN. 14. POST PENTECOST.

*De commiseratione, & operibus
misericordia corporalibus.*

Videbo totius Regni coelorum cardines,
& polos, geminam Misericordiam: Quia
*omnis summa disciplina Christiana in misericor-
dia & pietate est,* ait D. Ambrosius. in illud:
Estote misericordes, &c. Petā eam obtinere.

Conf. 1. Misericordia est virtus, quā dole-
mus de miseria proximi, eique per auxilium
spirituale, vel temporale subvenimus.

Conf. 2. Incitamenta ad eam. 1. Misericor-
diā nos maximè filios Dei ostendimus, imi-
tantes misericordem Patrem Deum. 2. Mile-
ricordia nostris necessitatibus subvenimus,
dando modicum accipimus misericordiam
Dei infinitam, quæ nobis & in tempore suc-
curret, & fovebit nos in æternitate. 3. Quia
Deus juxta D. August. Hom. 15. ex 50. *Quan-
do facit pauperes probat divites.*

Conf. 2. Actiones ejus, & quidem opera
miseri-

Fer. 2. Domin. 14. post Pentecost. 477

misericiordiæ corporalia, quomodo in ijs excelluerit Dominus meus. Pavit esurientes sapius, & de eleemosynis sibi datis à pijs foeminis pauperes nutrebat usque ad murmurationem Iudæ. Sicientes potavit in nuptijs, & exules Christianos cum S. Clemente in Agni figura parvo ictu pedis pulcherrimum fontem, in fluvium manantem elicuit. Vestivit pauperes suis vestimentis milites pauperes à passione sua induit, & occisores suos benignissimè contexit. Peregrinos suscepit, quod opus misericordiæ singulariter dignificavit. Ægros invisit, etiam per suos Apostolos. Redemit è carcere peccati totum genus humanum, plures oblectos à dæmonibus, Barabbam, Patres è limbo, animas è purgatorio: mortuos sepelivit: quia pretium, quo venditus est instinctu Iudæ, & Synagogæ non in alium usum converti voluit, quam ut ager emeretur pro mortuis. Cæterum *perfecta est misericordia, ut ante occurratur esurientibus, quã roget mendicus* inquit D. Aug. Hom. 39. ex 50.

MEDITATIO CCLXVIII.

Feria 4. Domin. 14. post Pentecost.

*de operibus misericordiæ spiri-
tualibus.*

Vldebo D. JESVM quasi solem neque motui, neque beneficijs finem constituentem. Petam eum imitari. *Cons.*